Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 369
Quelle:
Copyright:

tat imago rectius *orbis imago* &c. Ut adeo *Codex* hic ad reſtituendum integritati ſuae Poema in ſubſidium ceterorum XIII. recenſitorum advocari debeat.

CCXXXIII.

R. 49 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 141. f. min. luculente ſcriptus, rubricis pernotatus, et prius *Monachorum Congregationis S. Juſtine de padua. deputatus Monaſterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ad oram inferiorem p. 1. dicitur, eſt *Aurora* illa, ſeu Paraphraſis metrica Bibliorum *Petri de Riga*, cujus X. Exemplaria jam priori Volumine retuli. Miniatus Titulus ita habet: *Incipit prolegus Magiſtri Petri Rege. Editoris libri. Deditione libri Et cauſa edendi.* Proſaicus videlicet ille, cujus Excerpta dedi ad *primum* Exemplar, quique inchoat: *Sodalium meorum petitio* &c. Ab hoc: *Incipit aurora et primo agit De. VI. diebus. Epylogus breuis ad quem ſequitur narratio.* Itaque nulla, ut in aliis Exemplaribus, παρεργα. Epilogus dictus infit: *Primo facta die* &c. Opus ipſum:

Principio celum terramque creaſſe refertur &c.

Ordo Librorum eſt *Pentateuchus*, in quo initio *Levitici* Diſtichon illud: *Vox autem domini moyſen vocat* &c. bis ponitur, ut jam alias notatum eſt, *Joſue*, *Judices*, *Ruth*, *Regum* LL. IV. *Cantica*, *Job*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Machabaei*, *Daniel*, in quo Vetus Teſtamentum terminatur. Nulla igitur *Oracula Prophetarum*, nullae *Recapitulationes* &c. Novum Teſtamentum incipit *fol.* 130.

Poſt legem ueterem reſpira petre. refulget &c.

et ſolam *Hiſtoriam Evangelicam* complectitur, neque eam integram; abrumpitur enim jam in Sermone Domini in monte his verſiculis:

Sed tradunt alij non ſermonem niſi ſolum
Prolatum turbis diſcipulisque ſimul.

Hoc igitur Exemplar nec ex integerrimis eſt, neque *Aegidii Pariſ.* Interpolationes continet. Compara illud, ſi lubet, cum iis, quae priori Volumine indicata ſunt, et hic ad IV. Codices obſervantur.

CCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2003 XIV. Folior. 51. f. maj. per duas columnas eleganter ſcriptus, rubricis comtus, et folio praevio haec referens: *Iſte liber datus eſt Cartuſienſibus prope pragam cum*